NOBILISSIMO ET MVLTIS NOMINIBVS ILLVSTRI VIRO D. HENRICO RANZOVIO DANIAE PRODVCI.

QVANQVAM nobilissime Ranzoui nulla mihi tecum intercedat amicitia, vt ea fretus te in tanto rerum fastigio sedentem, familiariter meis literis interpellare debeam: tamen facit hoc humanitas tua singularis à multis doctis celebrata, vt te non ægrè laturum, si vt hæres paternorum bonorum, ita etiam paternæ amicitiæ quasi successor familiarius quædam agere tecum conarer. Itaque cum Gerardi Mercatoris Patris mei charissimi, iam in Christo defuncti, Labores Geographicos excuterem, eosq; prælo committere, vt eorum aliquem fructum caperemus, decreuissem, incidi in literas à te ad Patrem humanissimè scriptas, simulq; inueni quosdã de Regni Danici & vicinarum regionum Politico statu tractatus, à te ad Patrem transmissos. Eos perlegi, & ad vsum meum recisos & aliquantulum interpolatos, vt cum Patris instituto conuenirent, orbis arctoi tabulis, quas nunc cum reliquis Septentrionalibus tabulis in lucem emitto, adiunxi. atq; in hoc paternæ amicitiæ hæreditatem cernere volui. Cum autem historia omnibus hominibus sit vtilis, & præcipuè viris in republica versantibus necessaria: ea autem sine locorum & temporum certa demonstratione, planè sit cæca & in tenebris diuicet: rectè faciunt qui Chronologiam & Geographiam velut duas faces, ad Historiarum lectionem diligenter adiungunt. Vtrumque Pater meus editis diuersis operibus sedulo, dum vixit, sectatus est: an vero vtrumq; sit assecutus posteritas ab inuidia, ira & odio libera, facile iudicabit: certe vtrumq; assequi pro virili conatus est. Igitur cum Chronologiam certis demonstrationibus temporum confirmatam tradidisset, eamq; ad incudem reuocasset: Cumq; Ptolomæi tabulas suo pristino nitori emendatas restituisset, statim se ad nouam Geographiam exornandam & diuulgandam contulit, & vt reipublicæ literariæ in hoc consuleret, primum Galliæ, Germaniæ, Italiæ, cæteras q; tabulas edidit, quæ propter quotidianas rerum conuersiones quam maxime hoc tempore desiderarentur, ea ratione etiam sumptibus leuandis viam consternens. Quia autem semper erga eos à quibus esset adiutus, Pater fuit gratissimus, nec quenquam sua laude priuari voluit: æquum est vt & ego eius vestigia consequar, vtq; eas tabulas tabularumq; inscriptiones, quas à te accepit, tibi vicissim in monumentum grati animi inscribam. Accipe igitur Nobilissime Ranzoui, Patris mei in postrema senectute confectos labores, tuamq; Daniam, Norwegiam, Sueciam & cæteras orbis arctoi vicinas regiones, in ijs contemplare, subeatq; animum veteris amici recordatio, qui quod ipse debuit & voluit, nunc per filium suum hæredem tibi offert & dedicat. Quod vt benevolo animo à me factum, ita vt eodem à te animo accipiatur, te benignè rogo, vale. Duysburgi Cliuorum, Anno 1595.

Tuæ Nobilit.

Studiosiss.

Rumoldus Mercator.

GERARDUS MERCATOR *Atlas sive Cosmographicæ Meditationes de Fabrica Mundi et Fabricati Figura* DUISBERG, 1595 THE LESSING J. ROSENWALD COLLECTION, LIBRARY OF CONGRESS Octavo